

37

28

DE
DEBILI
FEBRIVM ACVTARVM
PVLSV

PRAESIDE

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT.
ERFVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE DVCAL. TEVTON. HELM-
STAD. SODALE ORDINIS MEDICI H. T. DECANO

AD DIEM VII. JANVARII CLOI CCLXXIIII.

IN REGIA VIADRINA

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE MEDICIS HONORIBVS
LEGITIME CAPESSENDIS
PVBLICE DISSERET
AVCTOR
IOSEPHVS BIEHLER
HALBENDORFIO - SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

DEBRII
LEBRIAVM AGATARIAM

PATERA

PETRO IMMANUELI HARTMANNO

AD DILEM AN ITINARII CIPDCCXXII

PRO GRADIA DOCITORIS

AVVIMINAE MEDICIS HONORIBVS

SARLICIS DISSESAT

JOSEPHAS BIEHLER

HABERBERG - ELSAEB



TRICETI AD MARDIUM
II TYPOCRYPHEO WINTERIANO.

REVERENDISSIMO

CENSERALI

AC
ORDINIS IN ASTRAGAL SILESIA

PERILLVSTRI DOMINO

CVLTVNDO DAGATAS MUNSTER

ON DOMINO

CONSTANTINO

SACRI AC EXEMTI ORDINIS CISTERCI-

MALLENTIAI SUMME LIBE

ENSIS IN DVCALI COENOBIO HENRI-

AVMERNDO

CHOVIENSI IN SILESIA ET

PRIMIUS HAB AGEDEMIGAS

REGIO ZIRCensi IN

...
HVNGARIA

ABBATI INFVLATO,

DE

A 2

VICA-

VICARIO ET VISITATORI
GENERALI

ORDINIS IN VTRAQVE SILESIA
DIGNISSIMO,
CAPITANEO DUCATVS MVNSTER-
BERGENSIS

ET
TERRITORII FRANCKENSTEINENSIS
MERITISSIMO,
MAECENATI SVMME PIEQVE
VENERANDO,
PRIMITIAS HAS ACADEMICAS

REGIO ZIRGENSI IN
D. D. D.
HUNGARIA

JOSEPHVS BIEHLER.

DE

REVERENDISSIME PRAESVL,

Sacro TVO nomini basce paginas inscripturus,
audaciae huius veniam pro more rogare nolui:
quod, licet summis, quibus excellis, virtutibus
omnium animos TIBI concilias, beneficiisque de-
vincis, me tamen praecipue tanto beneficiorum
numero affecisti, ut praeter hanc publicam gra-
tissimi animi declarationem non aliud gratiarum
genus mihi ab inopia videam relatum. Quippe
non solum monasterio, cui hodie felicissime praees,
in acceptis refero, quod cum fortuna minus ami-
cam mihi obtigisset, ibi quasi enutrirer et humaniori-

ЛНХХ А3

bus

bus imbuerer artibus: sed TV quoque praeter
haec, REVERENDISSIME MAECENAS in
artem salutarem incumbenti addidisti animos,
meque promissis incitasti, ut proinde eius digni-
tatis laus, qua celeerrima Academia Francofur-
tentis me hodie ornat, a TE, tanquam origi-
ne, merito derivetur. Quare suscipias beni-
gnissime has laborum primitias in grati animi
monumentum, nec opusculi levidensis, sed gra-
tiae mentis, solvendi debiti desiderio flagrantis,
benevolam habeas rationem. Vale, REVE-
RENDISSIME PRAESVL! per longissimam
annorum seriem sospes felixque, TV que illustris
nominis cultorem obsequiosissimum porro paterna
benignitate amplecti perge. Vale. D. Trajecti
ad Viadrum, III. Calend. Ianuar.

CICERO LXXIII.




DE

DEBILI

FEBRIVM ACVTARVM PVLSV.

PROOEMIVM.

CQui hac, quam vivimus, aetate no-
vis rem medicam inventis augere
ac locupletare cogitat, is ingenii
acie polleat, otio abundet, occasione obser-
vandi



vandi experiendique non careat est necesse.
Hisce omnibus ego tyro medicus cum sim
destitutus, Lector benevolus materiem, ut ut
non novam, attamen magni in praxi medica
ponderis, summæque utilitatis, æqui boni-
que consulet. Quid, amabo, medico lucu-
lenta in praxi versanti, frequentius febri-
bus acutis obvenit? At quoties et tunc acci-
dit, vires vitales acute decumbentis corru-
re et prosterni, vel quod natura ex plethora
oppressa sit, vel quod reipsa illud desit, un-
de omnium actionum vigor pendet et con-
stantia. Quare cum pulsus debilis cognitio
distinctioque medenti maximopere necessa-
ria, ægrotantibusque sit utilissima, hujus per-
tratione me majori legibus academicis ju-
re satisfactum putavi, quam si luxuriantis
inge-



9

ingenii commenta potius, quam veritatem in
præsenti commentariolo propositurus essem.
Quae scribo, partim ex auctoribus recentissi-
mis et fide dignis congeSSI, partim ex Præ-
ceptorum institutione hausI, partim ad le-
ctos ægrorum expertus sum. Si ex hoc meo
qualicunque labore quidquam utilitatis in
genus humanum redundaverit, si bonis et
prudentibus operam meam probavero, gau-
debo; imperitos et Zoilos non

~~moror.~~

~~III. 2~~

~~B. §. I.~~



§. I.

Cognitio Pulsus longe maiorem in praxi medica utilitatem adfert, quam quidem ii existimant, qui sana morborum *συρεαστική* neglecta, stultis ex urina sola petitis vaticiniis credulam plebem ludunt decipiuntque, et quod maxime dolendum, miseros aegros sua culpa non raro imprudenter perdunt. Non omnem urinæ in febribus indagationem reiicio. Absit hoc a me; belle novi, ex urina febris vehementiam, cruditatem, coctionem, crisi posse quodammodo cognosci, sed ex sola urina morbi causam, sedem et innumera alia divinare, prognoses formare, mira quaeque augurari, hoc rationi adversum, ridiculum, et bonae arti ignominiosum est.

§. II,

Potus, purgantia, et alia complura, urinæ mutationes inducunt multas et varias: ætas, sexus, temperamentum urinam variant: in periculis febribus saepe urina aequa, ac sanguis a naturali statu abludit; immo siue periculo abludit, dum saepe illud, quod coctionis in urina deest, per alias functiones resarcitur. Aliae ergo functiones consulendæ. Pulsus et respiratio certiorem dabunt diagnostin.

§. III.

Ex pulsu et respiratione videlicet cognoscimus cordis vires; celeritatem, qua sanguis per universi corporis vas fertur, proinde febris augmentum vel decrementum; inde

inde iudicamus de libero vel impedito sanguinis ad arteriarum fines itu et reditu, de maiori et minori humorum copia et consistentia, de vasibus arteriarum coronariis liberis vel obstructis. Quid multa? functiones vitales inde optime et tutissime diiudicamus. Quare pulsus et respiratio soler-tissimum medici examen postulant.

§. IV.


Verum quemadmodum cognitio pulsus eiusdemque frequentior exploratio in acutis utilis et necessaria est, ita et debilem ab aliis pulsus speciebus dignoscere summi est momenti: nam inde pendet diversitas prognoseos, diversitas in medendo, et salus aegrotantium. Debilis autem pulsus tangentia digitum minus valide ferit, interdum vix percipitur; ponit ergo diastolen arteriae minorem, seu parvam intersystolen et diastolen differentiam. Frequenti tamen usu in pulsu explorando fateor facilius rectam eius ideam formari posse, et varios debilitatis gradus definiri; siquidem vividior eius notio animae imprimitur tactu, quam longissima descriptione.

§. V.

Experientia et ratio, duae illae artis salutaris bases, docuere pulsus debilitatem bifariam debere dividi, nempe in veram et spuriam: utriusque naturam, causas, differentiam, et curationem iam pro viribus explicabo.

§. VI.

Spuria pulsus debilitas adesse coniicitur, dum pulsus quidem tangentia debilis appetat, re ipsa tamen talis




non est. Tactus eum vix a vere debili distinguit, et medicus semper in errandi periculo versaretur, nisi alia quandam rei adferrent lucem, quae proinde ratione indaganda. Sed de his paulo post,

§. VII.

Qua vero ratione pulsus eam mentiri possit debilitatem, sequenti concipio modo. Si consideres, pulsum esse alternam arteriae plenæ dilatationem et contractionem; motum hunc a causis pendere binis, scilicet ab humore ex corde in arteriae caveam influente, latera eius ab axi removente, et canalem conicum distendente. Item ab arteriae musculari, elastica, irritabili fabrica, qua sui distensioni resistit, et distenta semel, elatere, fibris circularibus, stimulique impactionia se se in naturalem statum restituere conatur. His praemissis iam pone a plethora eundem canalem arteriosum praeternaturaliter esse impletum, et latera nimis distensa; pone adhuc massam sanguineam calore rarerieri, in maius volumen expandi, proinde fibras arteriarum flexiles adhuc magis distrahi: quae omnia in febris quam frequentissime contingere, nemo profecto inficias ibit. An tibi videtur tanta massa, tantum liquidi volumen, a canali praeternaturaliter distento recte propelli posse? Sanguis ita descriptus arteriae contractioni nimium resistit; arteria in eam ergo diametrum, in quam in statu naturali sese constringere deberet, non constringitur, sanguisque debita quantitate non propellitur, eadem ergo causa iterum manet augeturque, systolen parvam semper productura.

§. VIII.



§. VIII.


Sed eiusdem naturae erit quoque diastole. Lateralia arteriae, ut supra dixi, sunt in maiores distenta circulos a sanguine praeternaturaliter accumulato aut morbose rafacto, hinc cor agit in latera arteriae ab axi iam remota, remota proinde minus solito dilatare poterit, ergo erit parva diastole. Verum ponitur quoque maior cordi a sanguine ita constituto renixus, visque cordis, naturali in statu removendis arteriae lateribus impensa, impenditur sanguini plethorico rarefacto propellendo, ergo iterum ex hac causa diastole erit minor, arteria minus tangentis digitum feriet, ergo pulsatio erit debilis. Sed arteria elastica reagit in ea ratione, in qua sanguinis a corde pulsi in arteriam erat actio: sed haec erat minor; proin oportet reactionem arteriae minorem esse in sanguinem, ergo rursus minor systole. En diastolen et systolen minorem, vel quod idem est, en pulsum debilem.

§. IX.

Considera porro, sanguinem in acutis phlogistica, ut vocant, plerumque peccare spissitudine, eumque minus facile per extremas arteriarum angustias permeare: has haud raro obstruetas inflammatasque esse. Inde fieri necesse est, ut cor vix quidquam virium in sanguine propellendo ad extremos usque arteriarum fines exerere possit, hinc intra caveas arteriarum sanguis accumulabitur, et in ratione resistentiae cordi oppositae arteria dilatabitur, pulsusque debilis evadet.

B 3

§. X.



§. X.

Sed longius paululum rem repetamus. Densitas phlogistica alio praeterea modo eiusmodi debilitatis pulsus ficticiae mihi causa esse posse videtur. Simul atque sanguinis circuli ex quacunque demum causa in minimis vasis libertas minuitur, nos imbecilles enervesque persentiscimus; procul dubio inde, quia ab ordinato liquidi arteriosi et nervae influxu pendens ad motum muscularis aptitudo laefactata est. An igitur mirum, idem cordi arteriisque contingere, dum subtilissimi spiritus nervae, pro cordis ac arteriarum actione necessarii, rite secerni non possunt ob densitatem massæ sanguineæ universalem, aut quod secreti liberime fluere et distribui nequeant propter origines nervorum compressas.

§. XI.

Atque hæc est debilis pulsus spuria, pulsus suppressi nomine a magnis Præticis proposita, quod nempe vis vitæ sit oppressa per copiosam, abundantem, et morbofam sanguinis rarefacti, spissi, et immeabilis quantitatem, vires vitales sanguine quasi obruentem, putatitiam ac simulatam organorum vitalium debilitatem, similemque virium tam vitalium, quam animalium, prostrationem mentientem, ob cor et arterias libera actione interceptas.

§. XII.

Uti cognitio recentiæ debilitatis summæ quidem est necessitatis, ita eadem non parvas patitur difficultates. Ex sequen-

sequentibus tamen magna cum certitudine in ægro spuriam,
non veram, adesse conjecturam facimus.

Primo. Si morbus est in sui initio, vel saltem ab eo non
multum distans; nam tunc rariores sunt veræ debilita-
tis casus.

Secundo. Si subiectum ante fuerit bene sanum, robu-
stum, juvenile, plechoricum; quia talia subiecta, non-
nisi ex gravissimis caussis applicatis vera vitalium debili-
tate laborant; inque iis peccat vel robur solidorum, vel
boni sanguinis abundantia.

Tertio. Si adhuc nulla, aut una alterave fuerit venæ fe-
cio instituta; si nullæ haemorrhagiæ, aut alia maior
evacuatio prægressa fuerit.

Quarto. Si nulla sint signa faburræ in ventriculo latitan-
tis, aut vermium in primis viis.

Quinto. Si æger decumbat in aëre renovato, aut ægra
passioni hystericae non sit obnoxia.

Sexto. Si in actu ipso, quo sanguis vena mittitur, pul-
sus sit fortior liberiorque.

Septimo. Si sanguis vena missus vel crustam contraxerit
inflammatoriam, vel saltem plus, aut etiam tantum na-
turaliter compactus fuerit et debitam insulam formave-
rit; in vera quippe debilitate vel sanguis visitur dissolu-
tus, vel in dissolutionem pronus, vel saltem in massam
rubram compactamque, quiete non cogitur.

§. XIII.



§. XIII.

Ex maiori horum criteriorum numero et pondere maiorem nasci probabilitatem, nosque eo magis de spuria convinci debere debilitate, per se appetet, nulla morbi habita ratione, modo acuta fuerit febris, seu inflammatoria, seu synochus putrida, seu febris continua remittens.

§. XIV.

Est tamen adhuc alia et mira spuriæ debilitatis species, causam a priori diversissimam agnoscens, nempe bilis aut alia faburra circa præcordia hærens. Ut hæchaud raro in ἔγκεφαλῳ tot et varia symptomata infert, ita quoque veneni instar uno interdum momento omnes vires prosternit, ut vix non aliiquid maligni humorum massæ immixtum suspicari posses, nisi certiora signa ventriculum mali sedem demonstrarent. Causa hæc longe aliter, modo a prioribus diversissimo, nondum satis explicabili, agit, nisi quis rem explicatam dubioque exsolutam credit, si adstruxerit mirabilem ventriculum inter et cerebrum consensem.

§. XV.

Quibuscumque iam obscuritatibus circa modum agendi theoria physiologica involuta sit, signa tamen faburræ præsentiam indicantia praxin reddunt certiorem. Præcipua et observanda frequentissime sunt epidemiz, ingluvies, oris amaror et siccitas, appetitus minutus, immo delectus cum nauœa, vomitu, acidorum appetentia.

§. XVI.



§. XVI.

Aer quoque non renovatus, nimium æstuans, vapore ex ægris et adstantibus exhalante, inquinatus, aliquis heterogeneis scatens, ut omnibus acute decumbentibus noxius pessimusque est, ita debilitatem summam inducit, initio spuriam, ultimo veram. Diffatis nempe tenuioribus per sudores symptomatis particulis sanguinis densitas augetur: immeabilitate per pulmones respiratio difficilior redditur, sanguinis motus intenditur, aliaque pessima symptomata oririuntur. Tandem calore interno, externo, et reliquis causis sanguinis cohæsio solvitur, dispositio putrida vel ipsa putredo cum suis effectibus producitur. Proinde una eademque causa veram et spuriam debilitatem gignere potens est.

§. XVII.


Vermes, passio hysterica, in febribus acutis quoque aliquando attentionem merentur, mire pulsum mutant, sub variis formis varia mentiuntur, et inter haec pulsum vere debilem.

§. XVIII.

Descriptis iam natura, causis, speciebus debilitatis spuriae in pulsu observabilis, de vera iam dicendum supereft. Adeft haec, dum arteria minus dilatata minus micat, ob defectum universalis humorum massæ, vel ob defectum in corpore spirituum nerveorum. Discernit potissimum ab illa ex caussis praegressis et cognitione subiecti.

C

§. XIX.



§. XIX.

Causae proximae conceptus non difficillimus est; et ex eius vix non solo intuitu causae remotae depromi possunt: tamen, ne quid omisisse videar, modum agendi causae proximae nonnihil latius exponam, eiusque subiungam analysis.

§. XX.

Pone primo defectum universalis humorum massae; hinc quodvis vas pro ratione defectus universalis minus continebit liquidi, ergo minus ex vena maxima in cordis fabricam influet, minus eam dilatabit, minusque in sui contractionem irritabit: sed cor, minus sanguinis continens, minus in contractionem irritatum, parciorem liquidi copiam in arterias conicas elasticas propellat, eas minus dilatabit, hinc minor percipiet arteriae diabole, seu, quod idem est, pulsus fit debilis. Adde, eiusmodi humorum defectum semper coniungi cum liquidi nervae inopia, eiusque secretione languente; quam languere oportet languente circulatione, siquidem secretiones universalem sanguinis circulationem sequuntur: hinc spiritus nervae requifita non influent copia in cordis et arteriarum carnes contractiles, ergo haec ad motum minus aptae erunt, minusque, si causa distendens accelererit, in actionem lacefentur. Idem ultimum fieri debere intelligis, si nevearyeas quidem adesse non statuas, deficeret tamen ponas solum subtilissimum nervorum spiritum.

XIX. 2

§. XXI.

§. XXI.


Subiecta, in quibus alterutram vel utramque inopiam videre est, sunt magna evacuationes perpeſſi: quorum vires morbi natura, impetu, diuturnitate, labefactae, et coctioni impares sunt; quorum humores vel morbi neglegēti, vel malignitate, in dissolutionem tendunt et putredinem; qui morbis laborant epidemicis singularis omnino genii; nec tamen facile credendum, dari frequentes casus, ubi miasma epidemicum debilitatem veram inducit vitalibus. His adiungi debent nonnunquam fenes cacheatīci, aliisque debiles ex cauſa quacunque.

§. XXII.

Cum sint, qui veram debilitatem in febribus acutis longe frequentius adesse existiment, quam re vera adest, ideo de illius possibilitate et existentia, cur plura dicam, non video. Quamobrem me ad remedia confero, quae et ratio indicat, et experientia, ususque clarorum virorum confirmavit. Sed cum multas, a se differentes, oppositasque debilitatis cauſas statuere necesse fuerit, multa quoque, a se differentia, sibique oppoſita remedia, debilitati variae convenientia, viresque erigentia, (Cardiaca vocant,) adhibere necesse est. Hinc cardiaca diversa sunt, et quæcunque cardiaca promiscue in determinato caſu adhibere, eft sanæ theoræ adversari. Quod generatim, seu vera sit, seu spuria, intendimus, eft cordi arteriisque maius conciliare robur. Spuria speciatim illud petit removeri, quod viribus vitalibus obicem ponit. Spuriæ primo medeamur.

C 2

§. XXIII.



§. XXIII.

Spuria, orta a caussis §. 7. 8. 9. 10. enarratis demonstratisque, cognoscenda signis §. 12. allatis, sponte, quid agendum sit a medico, indicat. Indicatio nempe est: sanguinis circulo pristinam et naturalem conciliare libertatem, ut pulsus magis evolutus, liberius, fortior evadat; quod siet sanguinis missione celebrata, toties, quoties necesse, iterata pro symptomatum circumstantiis. Venæ seſtio unicum in his casibus remedium est cardiacum: sive enim plethora, sive sola humorum rarefactio in cauſa ſit, effectus ſemper iidem ſunt. Hæc facit, ut obſtacula cordi et arteriis poſita removeantur; ut ambo facilis et liberius in fluida agant eaque complectantur; ut vaſorum extremitates obſtructæ referentur, ſecreſtionesque laefae emendentur. Quid multa? inde ſit, ut natura, ſanguine ante obruta, et quaſi ligata, libertatem in morbum agendi recuperet, vires opprefſas re-colligat, cruda liberius vel fanis ſimillima reddat, vel coquat, et ex corpore critice eliminet, atque de morbo feliciter triumphet, alias ſuccubitura. Inde ſit, inquam, ut pulsus, quod toties vidi, ſanguine adhuc ex vena incifa fluente, vel non adeo multo poſt, prius manifestam debilitatem præſe ferens, ſuppreſſus ante, evadat nunc liber, evolutus, maior, fortior. Pallor, ab immeabili, in vaſa minima meare non potente, ſanguine ortus, miro ſpectaculo pulcre evanescit, color læte ruber externæ corporis superficieſ redit cum viribus pulchre crescentibus. Medela pharmaceutica tota, quanta eſt, antiphlogistica eſſe debet, quia cauſæ hanc reposcentes maiores, auſtæ, periculōſiores ſunt. Hinc exhibenda talia, quæ acria inviſcant, humores ſpiſſos atte-nuanr,

nuant, calorem nimium temperant, solida stricta relaxant, humorum in putredinem degenerationi resistunt, quæ cum humoribus animalibus facile miscentur, neque tam cito per vias urinarias elabuntur; qualia sunt emollientia, solventia, nitrosa, acida, cerealia decocta, parca quidem, sed repetita admodum dosi, ad mensuras, viginti quatuor horarum spatio, ingesta. Ab his, (liceat mihi generatim quædam dicere,) ab his multo plus speramus in acutis, quam qui solis pulveribus, cæteroquin parum aut nihil efficacibus, confidunt, aut mixtura quacunque, vel stimulante medicamento, quod peius, omnem curam absolvere arbitrantur. En nostra cardiaca!

§. XXIV.

~~Aliquæ~~ Caussa §. 14. dicta, si sola spectetur, solum emeticum exigit; quo bene operante, et saburra ex ventriculo excussa, quæ sœpe mole vix spectabilis est, mire non raro vel morbus illico tollitur, vel levatur, omnisque curatio redditur facilior.


§. XXV.

Aer §. 16. medicum in omnibus quidem morbis sollicitum reddere debet, nunquam tamen magis, quam in casu nostro. Aer ergo non nimis exæstuet, moderate calidus procuretur et purus in omnibus acutis. Qui plura et omnia fere, quæ circa hunc dici possunt, legere cupit, adeat ANTONII DE HAEN Tomum I, rat. medendi.



§. XXVI.

Vermes et passionem hysterica §. 17. ut minus pendentes a natura morbi acuti, sibique propriam medellam vindicantes, hic prætermitto. Antequam tamen de spuria pulsus debilitate eiusque curatione dicere desinam, liceat mihi, scholiorum instar, quædam animadvertere. Pulsus suppressus §. 11. profecto crebrius occurrit, quam a nonnullis credi possit: sed an non et ideo toties male in acutorum principio vera debilitas accusatur? Cogitatur de malignitate, et de quibus, nescio, malis. Sed quid inde? En conclusionem. In hoc morbo adeo debilitas, virium prostratio, vires proinde sunt erigendæ, cardiaca subministranda; stimulantia, bezoardica, alexipharmacæ, sudorifera, præparata ex Dispensatoriis petita, a venerabili antiquitate artificiose, mire, simplicibus sexcentis composta, in auxilium sunt vocanda; æger pulvinaribus sepelendus, fornax incendendus, æger æstu torquendus. Itane? miser æger solus crassum agyrta peccatum luit. Videamus, quid eiusmodi remediis subministratis ratio fieri debere doceat, et experientia factum esse confirmet. Systema vitale irritatur ad frequentiorem sui contractionem; calor incenditur, præfertim ad vitalia; respiratio redditur anxia, celeris; obstrunctiones confirmantur, transpiratio Sanctoriana sistitur; vel si sudor quis provocatur, erit symptomaticus, quo tenuissimum vi exprimitur, reliqua condensantur, humores calore et motu sensim in corruptionem abeunt, nascentur petechiae aut miliaria. Euge! de vi morbi triumphatum est, hostis expulsus, quem naturæ dudum insidias facere suspicabamur! En effectum dati cardiaci,




diaci, res bene agitur, natura expellit morbum. Ita gaudetur de exanthemate prodeunte, symptomatico, non critico, et maxima medentis in his adiunctis felicitas haec est, quod æque vulgus, et alii medicinæ ignari de propullantibus gaudeant exanthematis, et, si æger fatis cedat, non medentem, sed naturam, a morbi vi et diuturnitate languidam arguant. Ita sumus homines! Fusius haec scripsi, quod sciam, quosdam adhuc reperiri, qui simul, ac virium debilitatem cum pulsu suppresso animadvertisunt, statim ad cardiaca stimulantia deveniendum credunt. In plerisque tamen provinciis, ut fatear rem, uti est, meliora iam edocti sumus, theoriam castiorem sequentes, et experientiae certiori innixi.

Alio morbus ergo medicina mea

§. XXVII.

¶. 10. An non saltem pestis, morbus acutus, iis tractandis remediis, quæ tu adeo acriter adspernaris? rarissime. Nihilne apud te valet patrum nostrorum auctoritas, usus stimulantium in peste tot seculis probatus? En responsum! en mea sensa! Si stimulantia vere fuissent indicata, ea profecto cadaverum strages facta non fuisset, quæ facta legitur in auctoribus, qui de peste, sudoriferisque in ea usitatis, memoriaræ atiquid prodiderunt. Et ego, si tamen iudicio in hac re quid possum, iudico, non improbabile esse, ex nuper a epidemia æque pestem, ut olim, orituram fuisse, si stimulantibus tantopere in ea debellanda abusi fuissent. Feliçes erant illi, qui Sydenhami et Mortoni præcepta sequabantur. An miasma pestilentiale humoribus spissitudinem et rarefactionem induxit, medicisque olim veram debilita-



bilitatem imposuit? Probabilissimum esse reor, et forsitan certissimum esset, si in omni peste medicorum unus alterve fuisset, qui mori, alexipharmacum calida, sub specioso vi-
rium erigendarum titulo, propinandi peste decumbenti-
bus, obsterret; profecto exemplum Sydenhami, qui huic
torrenti sese omni contentione opposuit, reecitque multis
adeo laudata cardiaca; qui malignitatis vocabulum, quod ad
cardiacorum usum medicos permovebat, pulveris pyri in-
ventione lethalius existimavit; huius exemplum, inquam,
insigne probabilitati pondus addit. Optandum idcirco est
et quodammodo sperandum, fore, ut aliquando hoc prae-
dicium deponatur, omnem etiam pestem fudoriferis sti-
mulantibus aggrediendam esse.

hunc habeo

§. XXVIII.

Pro scopo meo mihi satis dixisse videor, et for-
san quibusdam ad nauseam: sed peto, ut benigne ii igno-
scant, et quod longior fuerim, rei gravitati imputent. Nam
hisce omnibus cuique, vellem, persuasum esset, summi esse
momenti, veram inter et falsam pulsus debilitatem bene nos-
se discrimen, medelam debere adhiberi variam, imo sibi
contrariam, et ex huius debita cognitione tot ægrorum
penderet interitum, vel salutem.

§. XXIX.

Sed neque omnis vera debilitas unam eandemque
medelam admittit. Humorum natura remedium deter-
minat. Velenum adsunt signa, quibus humores in dissolu-
tionem


tionem putridam proni cognoscuntur, vel nulla eiusmodi dissolutionis adest suspicio. Si hoc: convenient solummodo eiusmodi remedia, quae solida in actionem aliquantum stimulant, nervis novum robur addunt, circulationem languidam erigunt, viresque vitales refocillant: talia sunt medicamenta principio volatili viroso, nervis amico, penetrante praedita; non illa acria terrea, fixa, inflammantia, quae potius in primas vias agunt, vel, et si sanguini admiscentur, tamen vi sua fixa non ita minimos canaliculos, arteriosos nerveosque, permeant, sed potius rudibus suis elementis circulationem magis turbant, quam æquabilem reddunt. Ex simplicibus magis hodie laudata adhibitaque sunt:

§. XXX.

Camphora, sacra illa anchora, ad quam toties con fugitur in acutis, dum vis vite, vis concoctrix, languere creditur. Est remedium, quod in hoc casu extollitur a multis, sed etiam carpitur: fortasse utrinque nimis; in medio tutius ibis. Exanthemata certe genuit, sed mala indicatio ne adhibitum, nulla vera debilitate praesente. Ceterum in nostro casu medicamentum pulcrum, utile, necessarium, quia volatile, nervinum, &c., nunquam negligendum, si natura sola sibi non sufficit. Eius efficaciam insignem loquuntur ægri, nosocomia, libri, ab observatoribus de camphoræ utilitate conscripti: si quidem non modo vires erigit, sed irritatis nervis etiam quietem conciliari, in observatis est.

D

§. XXXI.



§. XXXI.

Sunt, qui camphoræ corticem Peruvianum præferrendum putant. Est sane medicamentum divinum in omni malignitate, in quam demum cunque febris acuta degeneraverit. Pulcre roborat, et virtute nervina, quae nullis experimentis chemicis ad oculum fisti potuit, pessima malignitatis symptomata miraculi instar levat et auferit. Et sane camphorae, et aliis a me adhuc laudandis, præferri debet tunc, quando cum debilitate vitali alternæ febris exacerbationes et remissionses observantur. Si enim aliis consideris, cortice neglecto, exacerbationes frequenter remittentes, iterumque redeuntes, ægrum iugulabunt. Ut plus adhuc dicam, corticis usus nunquam eo usque differendus est in continuis remittentibus, donec quis credat, eius exhibitionem indicari ob vim vitæ iam languidam; maturo eius usu debilitas prævenienda est, auferendo paroxysmos, vel saltem eos mitigando: æger enim viribus iam exhaustus vix uni adhuc paroxysmo ferendo par erit, sed peribit.

§. XXXII

Aliis alia præplacent, vt Moschus, Zibethum, Castoreum, Spiritus cornu cerui, Crocus, Vinum, serum lactis vinosum, liquor anod. min., Scordium, Ruta, Melissa, Cinnomomum, Contrayerva, cortex aurant. citri, et plura eiusmodi.

§. XXXIII.

¶ XXXIII.

Vescantia quoque nunquam medicum negligere oportet; nam pessima symptomata mitigan, inque eo casu insigniter profunt, ubi a quacunque malignitate vires subito prosternuntur, caput levant, pulsum reddunt fortiorum. Sed cavendum, ne tum demum opponantur vescantia, dum fabrica iam corruit, et ipse medicus de salute ægrotantis desperat; quasi vero essent remedium iam iam morituris dicatum, et, ut in cadavere appareat, ægrum non sine auxilio ad inferos migrasse. Ita remedium exponitur ludibrio.

¶ XXXIV.

Si vitalis debilitas est cum humoribus in putredinem pronis, quædam ex prioribus §. 30. 31. 32. 33, quidem convenire possunt, quatenus viribus prospiciunt, ea tamen semper adiungenda, quæ vi sua antiseptica putredini resistunt, sanguinis globulos iam resolutos vel resolutioni proximos compingunt, et vasorum atoniam, putredinis comitem vel saltē pedissequam, corrigit et auferunt. Accida mineralia virtutibus his, §. præc. eminent, hic primas tenent. Serum sanguinis e vena recenter missi coagulant albuminis ovi instar, bestiarum venis instillata sanguinem ingrumos cogunt; ut inde satis superque a priori, ut vocant, eorum utilitatem, efficaciam, necessitatemque in casibus, ubi hæc vis compingens desideratur, demonstrare possimus. Sed convincunt nos quoque experimenta, quæ tot et tanta sunt, ut horum laus neminem latere possit, nisi in scriptis

D 2

me-




medicorum peregrinum. Ex tribus autem plerique Spiritum vitrioli aut sulphuris præferunt: alii adhuc ex his duobus ultimum ob phlogiston præsens, de cuius tamen præsentia alii dubitant. Modus exhibendi autem aliis usitatus est cum potu ordinario, aliis cum decoctis emollientibus, ut sic eo felicius plasticitatem sanguinis amissam restituant; miscent alii cum syrupo, alii non inepte cum mixturis, ut vocant, cardiacis, alii cum sero lacte vino. Non inutile erit, subiungere singularem illam observationem, qua acidum vitriolicum stranguras et diarrhoeas excitasse legitur; quæ tamen feliciter præcaveri poterunt addito syrupo Diacodii.

§. XXXV.

Refertur hoc quoque cort. peruv., de quo §. 31. dixi. Oportet tamen hic virtutis, qua gaudet, antisepticæ meminisse, ob quam proinde in nostro casu convenire videtur, multis exhibetur, et magnis extolliri laudibus. Sed decoctum corticis peruviani, dum sanguini commisceatur, eum fecit rubicundiores et fluidiores. Et sanguis multorum, qui cortice utebantur, facile secessit. An sanguinem ergo non densat, non compingit? An virtutibus, corticii in dissolutione humorum tributis, inde quid derogatur? Putredini futuræ tamen certo experimento resistit.





DE
DEBILI
FEBRIVM ACVTARVM
PVLSV

PRAESENTE
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT.
ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE DVCAL. TEVTON. HELM-
STAD. SODALE ORDINIS MEDICI H. T. DECANO

AD DIEM VII. IANVARII CICLO CCLXXIIII

IN REGIA VIADRINA

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE MEDICIS HONORIBVS
LEGITIME CAPESSENDIS

LEGITIME CAPESSENDIS

PVBLICE DISSERET

AVCTOR
I O S E P H V S B I E H L E R
HALBENDORFIO - SILESIOS.



*TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.*